Doctissimo Viro Mro Petro
Vulcanio causidico Mechliniae.

Pax Christi.

[= Ms. a. 7, Nr 132]

Apud Lucanum Leo,

Subsedit dubius totam dum colligit iram,
Inde ubi se saeva stimulavit verbere caudae,
Per ferrum, tanti securus vulneris ibit.

Haec animi generositas nisi te ita incendat vir humanissime, ut demissum in terram vultum ne velis quidem aspicere, neque se objicientibus obstacula fugam molienti, quae jactura rei et famae, quae pericula valetudinis et vitae; quod factitasti hactenus idem porro facturus es, ut semper vovens nunquam promoveas, semper e contagio impiorum cultrum emigraturus nunquam navem conscendas, interea fugaces posthume labuntur anni, quos ego jam duodecim in exilio transegi, dum tute meo hortatu et exemplo provocatus, ut aliquando te tuosque assereres, dices animum ex animo, auditurus (ut ajebas) quid in te loquatur Dominus. Atqui (ut opinor) quid necesse sit Domino tam habes compertum, quam quid sit in foro postliminium. Sed ea de re expostulavi tecum annis superioribus, nunc hoc agam, ut pleraeque literis tuis respondeam. Ais id tibi esse magnopere in votis, statum scilicet hujus reipublicae cognoscere. Quae gubernatio? qui mores? quae religio? quae ratio victus? Quasi tu haec ignores! Scripsit de his rebus Johannes Walley ad patrem suum crebro et prolixe, nec ulla ferme est dies, praesertim aestivo tempore, quo non commeant isthuc nostri Bremenses, ex quibus omnia multo certius intellexisti, quam ego literis complecti possim. Gubernationem turbavit quorundam senatorum fuga, mores sunt tolerabiles, nisi praesertim, qui raro procerso, religio Lutheri [illegible] le arbitratu non tam audacter exterminarunt superstitiones Papisticas, quam Galli [illegible]. Annona carior est et vilior, quam in ulla civitate Germaniae. Certo scio ducentis thaleris te cum conjuge patrem familias liberaliter posse vivere Bremae quam Mechliniae vivis trecentis. [illegible]

dentem. Quasi caecas duces, qui regnum coelorum scribis intra te esse. Si spiritum Christi habes in pectore regentem tua consilia et actiones juxta verbum Dei (scilicet hoc regnum Dei solemus appellare) quos obsecro te alios stimulos quaeris? quam acclamationem exspectas? quid quod jam vides canonicos non id satis incitamenti est? Cum charissima conjunx te dissimulante polluatur idololatricis cultibus? Quod dulces liberi profanescant et pessum eant. Si te haec tam atrocia Dei flagella non exterrent, non incendunt, ridiculum est te alios hortatores desiderare. Sed ea abs te fiunt quae non vis fieri, non fiunt quae volebas: Scio hanc Pauli confessionem communem esse piorum hominum querelam, sed ea non tam late patet, ut impiorum cultuum contagiis aut aliis voluntariis sceleribus obtendi possit. Diserte se millies patiatur Apostolus potius quam sciens et prudens transgressor fiat divinae voluntatis, interea luctatur cum infirmitate carnis et suam imperfectionem ideo detestatur ac deflet, quod non ea alacritate serviat Deo, neque tam absolutam omnibus numeris obedientiam creatori suo praestet, quam tanta Majestas meretur. Atque hic est sensus omnium, qui Deum verentur, toto impetu animi in conditoris sui obsequium feruntur, sed gravitate carnis et naturae destructione retardati neque suis ipsi votis satis faciunt et procul absunt ab ea operum integritate, quam lex, vitae regula requirebat. Sed absit interea ut scientes iram sibi accersant, aut certe si quid repente accidat ejusmodi quale illud Davidis fuit, ut non idem amaris lachrymis et magna animi contritione instaurant, semper confusi agnitione suae injustitiae, semper fiducia Mediatoris ad gratuitam Dei justitiam aspirantes. Tibi ante annos duodecim melius quam mihi perspecta fuit intolerabilis impietas Pontificiae factionis, et nosti edictum Domini: Recedite ab ea, exite e medio eorum et separamini dicit Dominus, et impurum ne attingite, tum ego excipiam vos et ero vo~~[illegible]~~bis pater. Cur maluisti te et tuos infidelium coetibus adjungere in ista sacrilega idololatria quam te ipsum puerum non tantum animo, sed

etiam corpore praestare, ut totus Deo facere esses? pro-
fecto cum toties Dominus tibi ostium reclusit. Quan-
do excussis forensibus negociis Lovanium te in otium
transtulisti, quanta tibi potestas te tuosque servandi
data est? Transvolasti inde Mediolburgum? Quare
non Duisburgum? inde Mechliniam. Quare non ad
Molanum tuum Bremam? Nam certo scio si quam
in urbem doctrinae sincerioris viriliter transire
aggressus esses (quae tua est dexteritas et industria) jam
pridem te et liberos tuos beasses. Nunc neque filiam
tuam vides, et tute ipse cum cara conjuge in tor-
tuosis miserae conscientiae consenescis. Durius tibi
haec dixi, utinam non vere, nam conscientiam alienam
scrutari non debeo, nisi quatenus ex verbo Dei, spiritus
qui est in sanctis περὶ ἁμαρτίας τῶν κόσμων ἐλέγ-
χει. Redeo ad tuam epistolam. Scire expetis Brema-
ne an Duisburgi major sit commoditas ad pietatem
exercendam. Omnia Duisburgi sunt humiliora quam
Bremae, utrobique tamen ex praescripto verbo Dei in
summa libertate conscientiae licitum est vivere. Ut-
robique in loco Dominus me sua benedictione complexus
est et beneficiis cumulavit. Idem te quoque cum blan-
da conjuge et liberis ambabus ulnis excepisset, si te
jampridem tuosque ab istis sacrilegiis hypocritis,
cum sodalitatibus aulicis fuisses asserere et in evan-
gelicam libertatem vindicare. At retinent te
amicitiae, honores, dignitates, his ego rebus contra
comparo pacem animi in Dei benevolentia acquie-
scentis, quae exsuperat omnem sensum, cui lubens sub-
dit vires tuas? nullae opes, nulla regna possunt
comparari. Sed haec nimis prolixe tecum fa-
bulor hoc tempore cum a vobis omnia laeta et
ad religionis vestrae rationem pertinentia moli-
abantur. Non eris (ut opinor) quare te huc velim tran-
scendere, eris potius quam nos, qui jam diu caremus patri-
is commoditatibus melioris doctrinae gratia gestia-
mus isthuc tandem reverti: Certe quamvis numquam
mihi peregrinatio fuit molesta: tamen si quidem pi-
tulari possem Christi regnum in patria erigere
cum non tibi, non sum adeo philoxenus, ut non malim

in natali solo consenescere. Quanquam et has terras
lubens postponam divinæ vocationi quam possum ma-
ximas gratias agens patri nostro cœlesti, quod tam
homunculum inopem (ut scis) et pusilli animi segre-
gaverit ab idololatricis illis regionibus, transtulerit
sua potenti manu, ubi animo tranquillo ætatem posse
degere, et procul a vestris carnificinis gloriosi et
magni Dei servatoris nostri Jesu Christi adventum
exspectare. Vale, nam obruunt scribentem negocia
quibus deesse non possum. Bremæ Cal. Junii 1566.
Uxorem tuam bene olim de me   Johannes Molanus.
meritam saluta ex me in Domino
Tua quoque beneficia quibus me Lo-
vanii fovisti, etiamnunc animo
meo observata manent, et dum
spirabo manebunt. Iterum Vale.

70.)

Bartholomæo Mercatori Gerardi f.

[= Mercr. a. 7. N. 133]

Pax Christi.

Dilecte frater Bartholomæe, recepi nuper in literis
ad patrem conscriptum datis mihi post aliquot
dies scriptum tuum, quod ut nunc faciam primum pro
munere pretioso sane et mihi acceptissimo gratias
ago. Nihil lego fere privatim, certe nihil libentius
lego, quam sermonem de Christo, sermonem vitæ æ-
ternæ. Neque est qui me magis afficiat, quam Beza
proinde non poterat mitti, quod mihi esset gratius.
Exercitium tuum mihi conducet in schola ubi
ejusmodi theses soleo tractare. Simul autem ex eo
non difficulter intelligo id quod in tuis moribus
laudabile est maxime. Te scilicet ut parentis dulcis-
simi necessitatibus obsequaris, tuæ ipsius naturæ bel-
lum indixisse. Vere quidem Flacc: Naturam in-
quit expellas furca tamen usque recurret. Sed ta-
men ille Poëta naturam ut malis affectibus im-
mersa est considerat, neque intelligit qualis natu-
ra sit in regeneratis. Quos Christi spiritus
revinxit. Qui sese ipsi abnegarunt, ut illum do-
minum suum crucifixum sequantur toti ab ejus
nutu pendentes. Qui sibi non credunt, se ode-
runt, secum luctantur, sese ipsos hoc est